

# M E L I S S A

## EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42



### VI SEMINARIUM VESTENDENSE

Inter lustrationem Cortoriacensem, a dextra ad sinistram in primo ordine stant: Paulus Elsen mystagogus, P.C. Eichenseer et Maria-Luisa Docquier, praeses Federationis Linguam Graecam Latinamque Docentium. Hulus seminarii relationem legere poteritis in pagina 12<sup>a</sup>.

## QUO STULTIUS..., EO FORTIUS...

Modo in actis diurnis Nederlandicis Regni Belgici apparuit hic titulus, maximis maiusculis litteris scriptus: "QUOUSQUE TANDEM ABUTEMINI PATIENTIA NOSTRA...". Quo sub titulo iussu "Parentium Associatione Interprovinciali" divulgabatur symbola Latine conscripta ab uno e nostris sodalibus. Ibi exponitur cur haec parentum associatio proposito novi Administris Publici Educationis vehementer repugnet. Qui enim omnibus scholis eandem studiorum rationem imponere vult, qua vix supererit tempus ad linguas classicas, quae dicuntur, discendas. De parentum argumentatione depromo haec pauca: "Quamdiu, viri clarissimi, penes quos rerum est regimen quique educationi praeesis, adulescentium institutionem tam artos intra cancellos compulsam tenebitis, ut, sublata varietate et suffocata, spiritum ducere vix queat?... An omnino ignoratis rei publicae bene temperatae ingenia opus esse admodum diversa, ut

naturae dotes, si qua ex parte defecerint alium, ab alio suppleantur et uniuscuiusque facultatibus ita excultis, bonum omnium commune provehatur?... Obicitis vos quidem, hominum quod aequalitati parum consulamus. At diversa diverse tractare, eam demum aequalitatem esse nonne iusto iure contendit Aristoteles?... Institutionis autem munus esse singulare putamus introducere pueros ad patrimonium cultus civilis saeculis superioribus acquisitum. In quo cum constet Graecos nec non Romanos magnum obtinere locum, operae pretium facimus si linguis classicis (quae nuncupantur) inbuimus discipulos. Duplicem enim inde solent capere fructum; nam et cognoscere memoriaque tenere discunt res eas, quarum influxus in nostra tempora fuit minime levis, et quoad intellectum ad unguem acuuntur atque erudiuntur; evoluitur siquidem earum linguarum studio capacitas recte iudicandi, facultas quaestiones expediendi. Quare qui utrumque

*illum sermonem diu addidicerit, ubi adoleverit suo stabit iudicio sibi que tuto fidet ipse.*"

Dubitare vero licet an haec sit sincera finis institutionis hodiernae. Praevalent rationes statisticae. Quare, etiam in raris Europae regionibus ubi adhuc toleratur, tradita institutio Latina implacabiliter eradicabitur atque timendum est ne haec "quaestio linguae Latinae", quae ab hinc duobus saeculis palam poni coepit, sic terminetur. Id quod inopportune accidet cum causae cur linguae "nationales" linguam Latinam paulatim removissent funditus mutatae sint post secundum bellum mundanum. Nam nationes Europaeae, quorum singularitatem signabant linguae "nationales", subito nimis parvae, nimis debiles in orbe terrarum factae sunt; exhaustis viribus, inter se decertare desierunt atque confoederari statuerunt ad vires redintegrandas. Quomodo tamen sincere confoederari poterunt nationes, quibus per saecula fuerunt consuetudines et singulares et ceteris infestae, nisi aliquid commune et magni momenti in patrimonio suo inveniant atque una iterum colant? Revera, hoc unum Europaeis in promptu est: longa, continua necnon communis traditio Latina, in Hella-

dis Romaeque cultu civili nixa. De qua conclusione consenserunt sodales e compluribus nationibus oriundi, quos mense Novembri a° 1987° Lambertus Pignini Romam invitaverat ad coetum participandum. Ibi statutum est ut duabus viis, scholari et extrascholari, opera daretur ad Latinitatem in Europa propagandam. In via scholari parentes monendi sunt ut indefesse pro suis liberis institutionem Latinam quam optimam poscere pergant; docentes etiam monendi sunt ut ipsi notitiam activam linguae Latinae acquirant, qua institutionem Latinam vividiorum et persuasibilem reddant.

In via extrascholari, circuli Latini quam plurimi, ubi fieri potest, condendi sunt, ut hominibus Latine eruditis occasio detur sermonis exercendi; facultas discendi etiam praebenda est eis, qui in schola Latine non eruditi sunt.

Postea necessarium visum est brevi libello causas exponere cur praesertim nunc temporis maximi momenti sit linguam Latinam colere. Cuius libelli subiungitur exemplar quod subscribere atque ad nos remittere velint ei qui textui assentiuntur.

Superioribus mensibus hic libellus iam in manibus fuit multorum hominum, quibus Latinitas cordi est; quorum plerique subscribendo assensi sunt. Unus, natione Anglus, non assensus est; pauci restrictim assensi sunt. Eorum animadversiones respiciendae atque perpendendae sunt:

- **de nationalismo:** "nationalismus", etiam in linguis vernaculis, est vocabulum recens; in lingua Francogallica primum legitur a° 1798°, id est statim post magnam rerum publicarum mutationem, sive "revolutionem", ut aiunt, Francogallicam; nam, eversa monarchia Capetiana quae territorium sibi comparaverat, necessarium erat pro ea alium mythum substituere, quo unitas territorii servari posset; qui mythus fuit "natio". Ex illo tempore gradatim mutata est significatio vocabuli "nationis"; antiquitus "natio" imprimis significabat "ortum", deinde quoddam genus hominum eiusdem stirpis; recentioribus temporibus significatio dilatata est; natio, post revolutionem Francogallicam, significare coepit multitudinem

hominum cuiusdam unitatis consciam atque deinde huius multitudinis politicam communitatem in quodam territorio constitutam. Ex hac recenti significatione derivata sunt nova vocabula "nationalitas" et "nationalismus". Nationalitas est voluntas existendi ut natio, quam profitentur homines, quibus est communitas sive territorii, sive linguae, sive traditionis, sive cuiusdam voluntatis. Nationalismus est exaltatio sensus nationalis, quo non raro gignuntur xenophobia et secessus.

- **de interdictione Latine docendi in studiorum universitatibus:** non agitur de sola philologia Latina docenda, sed de omnibus materiis, quae in universitatibus doceri solent, de iurisprudencia, de scientiis naturalibus, de medicina... Tempus fuit in Europa, quo cunctae materiae Latine docebantur, unde fiebat ut professores et alumni facile docere vel discere possent in universitatibus diversarum regionum. Quod paulatim mutatum est, sed non sua sponte neque eodem tempore in singulis regnis. In regno Francogallico, v.g., academici professores a XVI saeculo incitati sunt ad linguam Francogallicam loco linguae Latinae in docendo adhibendam. Diutius linguae Latinae usus servatus est in universitatibus v.g. Belgicae et Germaniae. In Belgica, a° 1835° paulo post Regnum Belgicum liberum conditum, cum lingua Francogallica electa esset ut lingua "nationis" Belgicae, haec lingua in universitate adhiberi coepit loco Latinae. Idem in Germania superiore saeculo, cum tempore cancellarii Bismarck crevisset nationalismus Germanicus, dedecuit diutius lingua Theodisca in docendo non uti.

- **pertinetne lingua Latina ad omnes Europaeos:** plerique homines, qui unam e linguis romanicis ut sermonem patrium adhibent atque hac ipsa causa se "Latinos" hodiernos vocant, putant homines, qui linguas Germanicas adhibent, de Latinitate non curare. Qua in re maxime errant; nam, lingua Latina diutius in usu universitario fuit in regionibus Europae mediae et septentrionalis; quibus in regionibus docti diutius opera scientifica sua Latine conscripserunt; addendum est Latinitatem vivam nostris temporibus diligentius in his regionibus coli quam in regionibus "Latinis".

- **estne quaedam aemulatio linguae Latinae cum Anglo-Americana?** Harum duarum linguarum utilitas multum differt. Propter praesentem Americanorum praepollentiam, lingua Anglo-Americana hodie facta est principale instrumentum communicationis in rebus oeconomicis scientificisque orbis terrarum. Quibus ergo talia sunt negotia necessario hic sermo est adhibendus. Quae tamen lingua non valet ad ullum communitatis sensum inter Europaeos gignendum. Quomodo enim identitati Europaeae gignendae favere poterit lingua, cuius usus modulatur et vocabula novantur longe a finibus Europaeis?

Tractatis praecipuis animadversionibus, ad summam optamus ut ad sociatio internationalis linguam Latinam docentium condatur, quae suo exemplo suisque inceptis palam demonstrat non solum quanti momenti sit Europaeorum patrimonium Latinum, sed etiam quali usui Europae foederandae esse possit.

Quo stultius negligitur Latinitas eo fortius pro ea nobis est propugnandum!



# SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

## De Alcuini propositionibus ad acuendos iuvenes

sive

## de lupis et capris et fasciculis cauli

*Tantum is est mathematicus perfectus, qui quodam modo poeta est.*

*Carolus Weierstrass*

### Introductio

Homines, non solum docti, sed etiam tantummodo modice eruditi, omnibus temporibus aenigmata omnis generis amaverunt; narrationes mythicae veterum et fabulae mediae aetatis hoc clare demonstrant. Veri simile est homines aenigmata sive scirpos, sicuti Romani veteres dicere solebant, proposuisse et solvisse, priusquam se ad studia litterarum graviora conferrent.

Quanti Romanorum studiosi ludos aenigmaticos aestimaverint, Aulus Gellius in libro, qui inscribitur "Noctes Atticae", refert his verbis: "Saturnalibus Athenis alea quadam festiva et honesta lusitabamus huiuscemodi: ubi conveneramus conplusculi eiusdem studii homines ad lavandi tempus, captiones, quae sophismata appellantur, mente agitabamus easque quasi talos aut tesserulas in medium vice sua quisque iaciebamus. Captionis solutae aut parum intellectae praemium poenave erat nummus unus sestertius. Hoc aere conlecto quasi manuario cenula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus."

Scirpi generis singularis sunt pensa mathematica textu reddita. Neque magistri neque discipuli superioris scholae dubitant, quin talia pensa pars maximi momenti disciplinae mathematicae sint.

In hac commentatione agetur de libello dulcissimo problemata illius generis continente, qui inscribitur "Propositiones ad acuendos iuvenes". Primum de Alcuino agetur, qui quantum coniectura assequi possumus auctor propositionum fuit; deinde libellus propositionum describetur; postremo (in proximo Melissa numero) propositiones selectae et earum solutiones disputabuntur.

Auctor huius commentationis in animo habet demonstrare, quanti pensa Alcuini lectores recentioris quoque aetatis delectare possint.

### Vita et opera Alcuini

Veri simillimum est Alcuinum, theologum, mathematicum, praeceptorem, caput academiae a Carolo Magno conditae, a° 735° Eboraci (York), in ea regione Britannica, quae Northumbria appellatur, natum esse, eodem anno, quo Beda Venerabilis defunctus est. Post vitam eruditionis et doctrinae plenam a.d. 14

Kal. Iun. a° 804° Caesaroduni (Tours) in Gallia mortuus est.

Anno 778° rector et moderator scholae episcopalis Eboracensis factus est. Anno 781° legatus Romam vectus est, quo in itinere convenit cum Carolo Magno. Alcuinus prudentia et humanitate animum Caroli adeo movit, ut ab eo confestim rector scholae palatinae et dux academiae factus est. Extremis annis vitae abbas fuit monasterii Sancti Martini, quo loco quamquam vitam a rebus publicis remotam agens scholam scribendi praeclaram condidit.

In litteris, quas ad Carolum scripserat, Alcuinus quasi mente christiana vitae memoriam recensuit his verbis: "Mane, florentibus per aetatem studiis, seminavi in Britannia. Nunc vero, frigescente sanguine, quasi vespere in Francia seminare non cesso, utraque enim, Dei gratia donante, oriri optans. Mihi, fracto corpore, solacio est sententia sancti Hieronymi, qui ait in epistula ad Nepotianum: 'Omnes paene virtutes corporis mutantur in senibus et, crescente sola sapientia, decrescunt cetera.' Et post paululum: 'Senectus vero eorum qui adulescentiam suam honestis artibus instruxerunt et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, aetate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior; et veterum studiorum dulcissimos fructus metit'".

Alcuinus auctor fuit complurium et diversi generis scriptorum. Opera, quae tradita sunt, non solum theologiam, dialecticam, hagiographiam, verum etiam grammaticam, artem docendi, didacticam tractant. Opus magni momenti est is liber, qui inscribitur "De fide sanctae et individuae trinitatis". In multis epistulis ab Alcuino partim ad amicos partim ad patres ecclesiasticos aut homines illustrissimos missis multae res de vita et tempore Alcuini, de scholis monasteriorum, de academia Caroli reperiuntur.

Praeterea Alcuinus se praebuit poetam nervosum, ut in hac querela de clade Lindisfarnensis monasterii monstratur:

*Roma, caput mundi, mundi decus, aurea Roma,  
nunc remanet tantum saeva ruina tibi.*

Alcuinus, <sup>modo</sup> poeta, <sup>modo</sup> homo doctus, <sup>modo</sup> amicus et familiaris Caroli, <sup>modo</sup> princeps academicorum, academiam Caroli centrum eruditionis fecit. Vita communis academicorum vacua fuit ea superbia, quam homines docti saepe monstrare solent, et falsa eruditione. Disputationes in academia ad animum acuendum et delectandum habitae similitudinem

40 modo

modo

modo

modo

modo



# Pagina lexicographica

## DE NORMIS ORTHOTYPICIS LATINIS

Melissae editrici responsali Petrus Hrandek s.p.d.

Animo attento commentariolum magni momenti de normis orthotypicis Latinis (Melissa, numerus vicesimus quintus) legi; tamen in hac epistula adnotationes criticae de ratione scribendorum numerorum mihi afferendae sunt.

Symbolum  $\square$  est operator mathematicus, qui significat numerum intra rectangulum apertum positum centies milies ducendum esse. Romani veteres hanc methodum graphicam invenerant, ut spatium numerale auferent et fines numeri  $\overline{C}$  (centum milia) transirent. Ratio, qua symbola numeralia verbis enuntiata sint, haec distincte demonstrat:

$\overline{X}$  decies centena milia (vel tantummodo: decies)

$\overline{XX}$  vices centena milia.

Quamobrem  $\overline{M}$  non 10.000.000 (id est  $10^7$  vel decem miliones), sed 100.000.000 (id est  $10^8$  vel centum miliones) significat. Praeterea hic numerus - forma antiqua fuit  $\overline{M}$  - iam in inscriptionibus Romanis temporis Augusti invenitur.

Notae numerales, quae apud Romanos in usu erant, plerumque symbola vel imagines parvae, raro litterae habebantur. E.g.:

$(I)$  mille

$((I))$  decem milia

Ratio scribendi moderna (auxilio litterarum I, V, X, L, C, M) recentissima demum aetate non sine problematibus inducta est. Methodus dimidiandi, quam Romani adhibere solebant, ut numeros magnos facilius (id est brevius) scribere possent, neglecta est. E.g.:  $(I) \rightarrow I$  mille: quingenta

$((I)) \rightarrow I$  decem milia: quinque milia

Denique dolendum est, quod in commentariolo nihil de minutis (id est numeris fractis) et earum symbolis memoratum est.

Postremo non supervacaneum esse mihi videtur notas numerales afferre, quae in abaco Romano in ponticulo inter alveolos incisae reperiuntur:

$\overline{X}$  decies centena milia

$((I))$  centum milia

$(I)$  mille

C centum

X decem

I unum

$\theta$  uncia (pars duodecima)

$\mathcal{L}$  semuncia (pars vicesima quarta)

2 duella (pars tricesima sexta)

$\curvearrowright$  sicilicus (pars duodequinguesima)

Vale!

sequitur p. 3

habebant ludorum. Academici similes erant choro hominum aenigmata proponentium et solventium, qui pariter ludentes et leges logicas sequentes rerum causas sciscitarentur.

Alcuino, qui nobili familia Anglo-Saxonum ortus est, fuit nomen Saxonicum Alh-win (id est "amicus templi"); quamobrem se ipsum Latine pro Alcuino saepissime Albinum nominabat. Viris et feminis academiae Alcuinus cognomina excogitavit: Carolus David vel Salomo nominabatur, Alcuinus Flaccus fuit.

Dux academiae, qui methodos psychologicas non contemnebat, hoc modo disputationes academicas simpliciores et liberaliores factum iri speravit.

Quod ad res mathematicas attinet, praecipue propositionibus, quae vocantur, effectum est, ut Alcuinus posterioribus quoque temporibus notus fieret.

Data vitae Alcuini in libro qui inscribitur "Tusculum-Lexikon" et in libro Maurilii Cantor (Vorlesungen über Geschichte der Mathematik) reperiuntur.

## Propositiones ad acuendos iuvenes

Liber, de quo in hac commentatione agitur, quamquam non est grandis, tamen plurimum valuit ad educandos discipulos et doctrinae studiosos. In libello, minime scholastico, quinquaginta tria pensa textualia praecipue mathematici generis collecta sunt: aenigmata pervetera, problematiuncula arith-

metica et geometrica, divinationes variae. Omnia problemata aliquo modo ad mathesim oblectationis, quae appellatur, pertinent.

Pensa ab Alcuino propositiones nominantur. Propositio est terminus technicus artis disserendi vel dialecticae et sumptionem, id, quod antecessit, significat. Alcuinus hoc verbo utebatur, ut problema et viam solvendi nominaret.

Alcuinum propositiones collegisse et edidisse non satis constat; tamen signa perspicua auctoritatis non omittenda sunt: propositiones eo tempore, quo Alcuinus vixit, scriptas esse sine dubio demonstratum est; numquam quaestiones in problematibus propositionum tractatae ad res christianas pertinent; inter propositiones pensa reperiuntur, quae in academia Caroli Magni tractata esse traditum est; postremo nemo est, qui neget Alcuinum, caput academiae Caroli Magni, omnes methodos et vias erudiendi et cognovisse et usurpavisse.

Omnibus rebus dubiis neglectis, in libro de propositionibus pensa textualia mathematica primum Latine edita esse constat, quae homines posterioris aetatis saepissime legerunt et in scriptis historicis aut mathematicis attulerunt.

Menso Folkerts propositiones una cum apparatu critico anno 1978° denuo edidit. Aliquot ex his propositionibus in proximo Melissae numero proponentur.

Petrus Hrandek  
Vindobonensis



# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES *EUTHYMIUS B. ANTONAROS*

Εὐθύμιος Β. Αντωνάρος, τάκτικος καθηγητῆς τοῦ Πανεπιστημίου Ἀθηνῶν, sive Latine Euthymius B. Antonaros, ordinarius professor studiorum universitatis Atheniensis, quem virum Atheniensem primum novi in Anglia, cum ambo participes essemus primi seminarii Ledesiensis (Leeds), mense Aprili a° 1978° habiti. Tunc temporis multum mirabar quod aliquis ex Helade, longo itinere suscepto, illuc venerat ad Latinitatem Vivam colendam.

Ille contra mirabatur quod medicus seminario intererat et saepe mihi dicebat: "Tu, medice, Latine loqueris!".

Mihi iterum contigit Professore Antonaros convenire, anno 1985°, inter "Omnium Gentium ac Nationum Conventum Latinis Litteris Linguaeque Fovendis", Duntelmi (Durham) in Anglia habitum. Ibi Melissam nostram invenit, cui statim libenter favit.

Cum Euthymius B. Antonaros hoc anno VI seminarium Vestendense participare dignatus esset, occasione data, plura scire volui de eius vita operibusque.

Meis interrogationibus benignissime respondit ita ut eum apud lectores amplius introducere possem.

Euthymius B. Antonaros, quamvis patris matrisque familiae a Laconia oriundae essent, natus est Piraei in vico Sanctae Sapientiae (Ἁγίας Σοφίας). In eodem magno Athenarum portu, in IV Gymnasio, et linguam Latinam et linguam Graecam antiquam didicit, id quod in Helladis gymnasiis obligatorium erat usque ad annum 1976<sup>um</sup>. Laudat suos professores, qui eum bene docuerunt, ita ut consilium caperet litterarum classicarum studendum in studiorum universitate Atheniensi.

Ad universitatem ingrediendam examen imponebatur, quod maxima cum laude superavit.

Inter suos professores, quos ut optimos magistrōs, viros sapientes, antistētes scientiae, laudat, unum praecipue extollit, cui nomen Henricus Scassis (Ἐρρίκος Σκάσις); etiam laudat Christum Capnucajas (Χρῖστος Καπνουκαγιας); ambo eum docuerunt litteras Latinas. Referuntur etiam professores Iohannes Kallizunacis (Ἰωάννης Καλλιτσουνάκης) et Emm. Pezopoulos (Ἐμμ. Πεζόπουλος) qui optime litteras antiquas Graecas docebant; grato animo etiam memorat professores philosophiae: Theophilum Boreas (Θεόφ. Βορέας), Constantinum Logothetes (Κωνστ. Λογοθέτης) et recentiorem et maximae dignitatis, Iohannem Theodoracopulos (Ἰωάν. Θεοδωρακόπουλος).

Euthymius B. Antonaros inter philologiae classicae doctores receptus est anno 1952°. Eius thesis inscribatur "Studia Apuleiana" vel potius "Μελέται περὶ τῶν Ἀπουλήμιον", cum Graece conscripta esset. Professor Scassis de hac thesi magna cum laude iudicavit, quia auctor optima methodo conscientiaque maxima ex antiquis fontibus argumenta collegerat necnon multa problemata Apulei vitae audacter,

sed modo vere scientifico, tractaverat.

Aliud iudicium legitur in periodico cui titulus Latinitas (2.III, 1985): "Complures animo numerantur, qui vitae Apuleii memoriam repetentes ad eius lacunas explendas, satis accurate contenderint; sed nisi me fallit, nullum criticum post Weinreich O. illum (Heidelberg 1931) res Apuleianas tractasse constat. Itaque non incommode nunc in medium Euthymius Antonarus venit, quem virum scripta, in quibus summa ope enisus ipse est, magna ingenii esse acie eundemque plurimis litteris exornatum esse confirmant... Mihi quidem certe Euthymius Antonarus hoc effecisse videtur, ut distribute, distincte, graviter, ornate copioseque in primis de Apuleio philosopho inquireret; quin etiam quae ipse statuit atque decernit de philosophia Apulei a Platonis repetenda, utpote quae fere omnia a fontibus perquam diligentissime fere ex integro exploratis rationibus a nemine priorum scriptorum confirmata esse dixeris."

Longissima recensio etiam legitur in commentariis periodicis Societatis Graecorum Philologorum "Plato" (1952 p. 352-361) (Περιοδικόν Ἐταιρείας Ἑλλήνων Φιλολόγων "Πλάτων"), ubi egregius philologus et philosophus C. Georgulis (Κωνστ. Γεωργούλης) magna cum laude hoc opus iudicavit.

Doctor factus, Euthymius B. Antonaros duplicem bursam obtinuit et Graecam et Italianam ad studia foris perficienda. Romam petivit ubi satis diu in studiorum universitate apud Hectorem Paratore ceterosque professores remansit; ibi et alteram partem "Studiorum Apulei" Italiane conscripsit, de qua Hector Paratore optime iudicavit: "Al termine dei corsi a coronamento della sua attività a presentato una nutrita ricerca delle fonti di Ap. nella quale sviluppando i suoi precedenti studi Apuleiani ha approfondito i rapporti fra le opere di Ap. specie quelle filosofiche e testi dei filosofi Greci. La ricerca e condotta con molto acume e perfetta conoscenza dei testi, rappresenta un serio contributo alla determinazione della cultura e del pensiero di Ap.; essa viene a confermare le doti preclare del dott. Antonaros, quali hanno avuto modo d'affermarsi nei suoi scritti e nell'attività da lui svolta a Roma."

Eodem tempore frequentavit studiorum universitatem Gregorianam in qua professores Latine loquentes docebant et tunc temporis professor Springhetti in "Schola superiore Litterarum Latinarum" Ciceronianum sermonem usurpans optime docebat.

Post Italiam et alias Europae regiones studiorum causa lustratas Athenas reversus, Euthymius B. Antonaros vitae tractum iniit arduissimum, laboriosissimum necnon et incertissimum.

Anno 1964° in universitate studiorum Atheniensi opere Latine exarato, cui inscriptio "Quaestiones Lucretianae II", liber docens (ὀψηγητῆς) electus est.



U 3 In Actis Facultatis Litterarum candidati magna facilitas Latine scribendi et loquendi laudatur.

Similiter, summa eius cognitio litterarum Latinarum et praecipue subtilior ratio, quae ad Lucretium opusque eius celebre carmen "De rerum natura" et ad bibliographiam pertinet, optime iudicatur, quippe quod ex profundis et exquisitis his de Lucretio studiis nova elementa de magno poeta exacta sint, quae sine dubio viri docti non, seu non bene, distinguerunt.

Inter hoc temporis spatium conscripsit et in lucem edidit:

- Η γνησιότης τοῦ "Pro Marcello" Λόγου τοῦ Κικέρωνος (1958), ubi demonstravit hoc opus genuinum Ciceronianum esse.

- "Quaestiones Lucretianae I" (1958); quod opus Latine conscripsit.

- Περί τῆν σύνταξιν τοῦ Λουκρητίου (1958) Graece scriptum.

- "Quaestiones Lucretianae II" (1960); Latine conscriptum, quod in commentariis c.t. Latinitas Iosephus Del Ton laudavit scribens praeterea: "Opusculo hoc, quod Latine fluenti sermone exaratum est, auctor nonnullas Lucretianas quaestiones proponit quas et solvere conatur. Si laudibus auctorem carminis "De rerum natura" veteres cumularunt... pauca incerta, dubia, de eius vita, navitate, decessu reliquerunt etc... Sat solidis usus argumentis, aliorum refutatis sententiis, Euthymius B. Antonarus opinatur...".

- "Erat Italia tum plena Graecorum artium ac disciplinarum" (1960), Latine conscriptum. Optime iudicatum est in eisdem commentariis c.t. Latinitas, ubi in litteris Latinis perfectus Iosephus Del Ton praeterea scibit: "Auctor concinni et elaborati huius opusculi Latino sermone scripti... Ciceronem Graecis litteris et disciplinis mire fuisse imbutum luculentis et allatis testimoniis ostendit. Longam eius seriem locorum poetarum et philosophorum Graecorum profert itidemque interpretationes quas maximas Latinorum orator conficit... Saepe Cicero non ad verbum exprimit sed eorum tantum vim interpretatur."

- "Vergilii poemata Catullum passim redolent" (1960) Latine conscriptum.


- "Quantum Catullus apud Horatium valuerit. Quid elegiaci poetae Catullo debeant" (1964) Latine conscriptum.

- "Quid Ovidius ex Catullo libaverit" (1964) Latine conscriptum.

- "Catullus et Appendix Vergiliana" (1964) Latine conscriptum. Cuius operis pars altera Latine item conscripta anno 1984° edita est.

Anno 1976° professor Henricus Scassis una cum ceteris professoribus Euthymium B. Antonarus suum successorem in prima cathedra elegerunt. In Actis Facultatis Litterarum servatur eius iudicium, ubi dicit candidatum Antonarus ceteris longe antecellere, propter ea quod habet litterarum Latinarum zelum divinum, omnia colit maxima diligentia, facile sermonem Latinum usurpat atque optime aestimatur in variis commentariis periodicis philologicis. Sic Euthymius B. Antonarus anno 1976° professor ordinarius universitatis studiorum Atheniensis factus

est. Tandem liber et suo iure Latine loquens in docendo efficere conatus est ut studiosi sui, futuri professores, in essentiam Latini sermonis introirent et linguam Latinam ut mortuam habere desinerent.



Prof. Antonarus inter participes seminarii Vestendensis

Nec non et in seminario academico suo (φροντιστηριῳ), quod nominavit "Scholam superiorem Litterarum Latinarum", sermonem Latinum usurpans studiosos delectos ad inquisitionem indagacionemque in studiis philologicis allicere conatus est.

Professorem Henricum Scassis, magistrum suum unicum, qui paulo post vita decessit, Euthymius B. Antonarus longa necrologia (Νεκρολογία Έρρ. Α. Σκάσσης), quae optime in Epheteride Philosophicae Scholae universitatis studiorum Atheniensis (Επετηρίς φιλοσοφικῆς Σκολῆς τοῦ Πανεπιστημίου Αθηνῶν, Tom. 26 [1977-78] p. 554-576) edita est, iuste laudavit.

Anno 1978° die anniversario 28° Octobris anni 1940° Euthymius B. Antonarus a senatu universitatis studiorum Atheniensis rogatus est ut sollemnem orationem haberet, qua palam Neograecorum res gestae laudarentur. Haec oratio, c.t. Δικαιος τῶν Νεοελλήνων ἔπαινος, in magna aula ceremoniarum universitatis coram praeside ceterisque illustribus habita est et inter illustres orationes servatur.

Nonnulla opera edenda Latine praeparavit Euthymius B. Antonarus, sub inscriptione "Vergilius et Aegaeum Graecum", "Catullus et auctores post Augustum", alia.

Euthymius B. Antonarus non solum maxime in studiis classicis incubuit, sed maximam operam dat ut in Helladis lycæis restituatur in pristina dignitate institutio linguae Latinae et Graecae antiquae, quae sunt vera fundamenta cultus civilis Europaei.

Etiam semper Latinitati Vivae favit ex pueris, tum cum discipulus esset in IV gymnasio et studiosus in universitate studiorum et praecipue ex eo tempore quo professorem Springhetti mirum in modum Latine docentem audivit.

Gratias ergo Professori Euthymio B. Antonarus, qui ex primis passibus frequenter Latino sermone utens in pluribus operibus suis scribendis et Latinos auctores docendis Europaeum sermonem esse Latinum quodammodo totius orbis terrarum monstravit, qui ipse maxime alitur ex fontibus perennis Hellenicis.



## Eino Leino et genius mythicus Finno- rum

Eino Leino, poeta laureatus Finno-  
rum, qui vixit 6.VII.1878 - 10.I.1926, iam lectoribus Melissa notus  
est. Nam Thomas Pekkanen, translator Kalevalae,  
ipsum poetam duoque eius carmina in Latinum versa  
(Elegia et Carmen nocturnum) in Melissa litteraria  
(15/1986) exposuit. Postea etiam "Carmen sacrum",  
nomine Virgo et regalis iuvenis Latine divulgavit  
(Melissa 20/1987, p.11).

Eino Leino iam puer in lyceo classico Castri Tavas-  
tiae (Hämeenlinna) funditus in lingua Latina eruditus  
est. Discipuli tunc denas horas scholasticas quaque  
septimana linguam Romanorum discere solebant.  
Itaque iuvenes fluenter textus in Latinum vertere  
poterant. Postea Eino Romae, ubi anno 1908/1909  
versabatur, fundamento firmatae Latinitatis fretus  
tantam notitiam linguae Italicae adeptus est, ut  
Comoediam illam Dantis optime in Finnicum verteret.  
Immo etiam Romae trans Tiberim (Lungotevere Prati  
17) in inscriptione publica legere possumus (sc. Ita-  
lice; cur non Latine?):

IN HOC AEDIFICIO  
ANNIS 1908-1909  
GRANDIS POETA FINNICUS  
EINO LEINO  
DIVINAM COMOEDIAM  
FINNICE TRANSTULIT  
INTIMO AMORE CAPTUS  
UNIVERSALITATIS ROMAE  
SPQR  
MCMLXXI

Opus celeberrimum Eino Leino est "Carmina  
quae vocantur sacra" (Finnice "Helkavirsiä"), stilo et  
metro Kalevalano composita, quorum poeta duas  
series divulgavit, primam anno 1903°, alteram anno  
1916°. In illis carminibus artem epicam Kalevalanam  
ita renovavit, ut certo more elementum epicum et  
lyricum et dramaticum in unum confluerent. Proble-  
mata autem moderna omnium nostrum tractat  
mythice, symbolice - per allegoriam. Materiam suam  
mythicam poeta e diversis fontibus haurit: non solum  
e fabulis Kalevalanis sed etiam e mythologis Graecis  
Romanisque antiquis et legendis Christianis. Maxima  
quodam imaginatione creativa novas fabulas my-  
thicas excudit, quae tamen vim primitivam non amise-  
runt, ut plerumque fit apud poetas urbaniores. Eino  
Leino, ut fere musices compositor Finnicus Iohannes  
Sibelius, contactum directum modo mirabili cum

fonte profundo imaginationis mythicae retinere po-  
test.

Eino Leino more multorum poetarum ineuntis  
saeculi <sup>vicerum</sup> valde admirabatur philosophiam Friderici  
Nietzsche, de qua tamen per totam vitam secum  
critica dubitatione disputavit. Vestigia Nietzsche-  
nismi inveniri possunt etiam in poemate, quod Solis  
valedictio inscribitur: dico robora illa vitalia, quae  
philosophus "Apollonicum" et "Dionysiacum" vocare  
solebat. "Valedictio" in forma soliloquii drama quod-  
dam triangulare cosmicum continet.

Sol, qui Tellurem adloquitur, vim Apollonicam, id  
est "ego" hominis philosophicum et ideale repraesentat:

"Libertas sublimis, salve,  
Caritas carentis fine,  
Cogitatio caelestis,  
alme Spiritus abstracte!"

Tellus (Terra) vim Dionysiacam, id est "ego" homi-  
nis vitale et terrenum significat, Luna autem, apud  
poetam Finnicum masculini generis ("divum numen  
Lunae"), mundum perfidum insomniorum et er-  
rorum.

Initio Sol confitetur se a Tellure separari velle, sed  
non esse facile amoenitatem naturae, "lacus, prata,  
silvas, oras, valles, vertices, retia ratesque" relin-  
quere. Deinde fabulam suam refert. Sol, ut ipse  
narrat, iam saepius antea periculum fecerat, ut se a  
servitute Terrae liberaret, postquam audivit vocem  
illam aeternitatis, sed semper amore rursus captus  
redierat. Quondam, cum Sol aeterno et infinito spatio  
vagaretur, Tellus nocturno tempore amores cum  
numine Lunae notho lumine lucentis coniunxerat.  
Qua de re certior factus Sol ira incensus ambos  
proditores ardore suo cremaverat. Quamquam Tellus  
Solem omnibus modis retinere conatur, ille feminae  
non credit et suum ultimum vale dicere non dubitat.  
Haec ultima linea, quae et mundi exitium significat,  
alteram seriem "Carminum sacrorum" claudit.

Ego quidem credo poetam Finnicum inter alia  
etiam fabulam Phaetontis Ovidianam (Metam. I 747 -  
II 400) et "Solis occasum" (Sonnenuntergang) Henrici  
Heine, quod poema optime in Finnicum verterat, sed  
maximam partem suam genialem visionem creativam  
secutum esse.

Versio Thomae Latina mea sententia interpretatio  
primae classis et acerrimi ingenii est. Post versionem

UNUM TE OBSECO, UT TE HUIUS COMMISERESCAT MULIERIS, SI QUIDEM HIC LENONIS EIUS EST VIDULUS, QUEM SUSPICOR. HAEC POTERUNT NOVISSE; OSTENDERE HIS IUBE. HASCE AMBAS, ITA ESSE OPORTET LIBERAS; HAEC ATHENIS PARVA FUIT VIRGO SURRUPTA.



DIC MIHI, QUID ID AD VIDULUM PERTINET, SERVAE SINT ISTAE AN LIBERAE?



CISTELLAM ISTI INESSE OPORTET CAUDEAM IN ISTO VIDULO, UBI SUNT SIGNA QUI PARENTES NOScere HAEC POSSIT SUOS, QUIBUSUM PARVA PERIT ATHENIS, SICUTI DIXI PRIUS.



CEDO MODO MIHI VIDULUM ISTUM, GRIPE.



CONCREdam TIBI. AC SI ISTORUM NIHIL SIT, UT MIHI REDDAS.

AUDI NUNCIAM, PALAESTRA ATQUE AMPELISCA, HOC QUOD LOQUOR: ESTNE HIC VIDULUS, UBI CISTELLAM TUAM INESSE AIEBAS?

IS EST.



FIACIAM EGO HANC REM EX PROCLIVA PLANAM TIBI. CISTELLAM ISTI INESSE OPORTET CAUDEAM IN ISTO VIDULO: IBI EGO DICAM QUICQUID INERIT NOMINATIM: TU MIHI NULLUM OSTENDERIS. SI FALSA DICAM, FRUSTRA DIXERO. VOS TAMEN ISTAEC, QUICQUID ISTI INERIT, VOBIS HABEBITIS. SED SI ERUNT VERA, TUM OBSECO TE UT MEA MIHI REDDANTUR.



PLACET.





VIDEO CISTELLAM.

HAECINEST?



ISTAEC EST.

GRIPE, ACCEDE HUC, TUA RES AGITUR. TU, PUELLA, ISTINC PROCU L DICITO QUID INSIT ET QUA FACIE; MEMORATO OMNIA. SI HERCLE TANTILLUM PECCASSIS, QUOD POSTERIUS POSTULES TE AD VERUM CONVORTI, NUGAS, MULIER, MAGNAS EGERIS.




LOQUERE NUNCIAM, PUELLA. GRIPE, ANIMUM ADVORTE AC TACE.

SUNT CREPUNDIA.



ECCA VIDEO.

QUA FACIE SUNT? RESPONDE EX ORDINE.



ENSICULUST AUREOLUS PRIMUM LITTERATUS.

DICEDUM...



IN EO ENSICULO LITTERARUM QUID EST?

MEI NOMEN PATRIS. POST ALTRINSECUST SECURICULA ANCIPIES, ITIDEM AUREA, LITTERATA; IBI MATRIS NOMEN IN SECURICULAST.

Kalevalae ille iam maiorem partem "Carminum sacrorum" Einonis Leino in Latinum vertit. Nos intensissimi cetera poemata et totam editionem illorum exspectemus, ut Cornu Copiae poeseos neolatinae ita

augeatur.

Scripsi in urbe Espoo, quae in ora Sinus Finnici non procul ab Helsinki jacet.

Tetvas OKSALA

## SOLIS VALEDICTIO

Tellus, diu te dilexi,  
tuos natos et naturam:  
est in aevum separari,  
valedicere iam tempus.

Mihi mira sunt audita  
de septentrionis sede,  
novus nuntius receptus  
est Orionis ab oris:  
"Noli crastina curare,  
venies in vespertinum  
gaudium, post polum nonum,  
decimum trans firmamentum!"

Id felicitatem miram  
infert, mentem incitavit,  
ut rem peterem speratam  
et ignotam invenirem:  
ad se nova vis me vehit,  
temptat stella peregrina  
et me potior potestas,  
auctor altior Tellure.

Valedicens linquo lacus,  
prata, silvas, maris oras,  
more mihi dimissurus  
portus, retia ratesque;  
servi loco laboravi,  
vitae pecora cum pavi,  
nunc revertor inter reges,  
formam induo felicem.

Libertas sublimis, salve,  
Caritas carentis fine,  
Cogitatio caelestis,  
alme Spiritus abstracte!  
In cor meum es illatus  
olim, oriente mundo,  
flammis fortibus fulsisti,  
scintillasti sic scintillis,  
ut prae ceteris canderem  
et plus aliis augerer,  
plus quam alii lucerem  
et amarem et arderem,  
sed et cladibus illatis  
urerem et concremarem.

Tellus, diu te dilexi,  
tuos colles et cincinnos,  
nunc est fugere necesse,  
in diversa nos distungi.

Et his horis vespertinis  
umbras vitae fugientis

vicem ultimam illustro,  
valles hominum vagorum;  
eis defero fervorem,  
solis splendo splendore  
in subsidium brumale,  
lumen sempiternae noctis.

Nonne mihi credis, Tellus?  
Animo non amplexaris  
me non esse reversurum?  
Abeo non rediturus.

Abeuntem me vidisti,  
rursus semper redeuntem  
aëris ex amplis aulis,  
oris caeruleis caelorum;  
idem illud tum audivi,  
iam sescenties tum sensi  
vim eiusdem potestatis  
intimis in intestinis;  
iam volebam oboedire,  
sed non viribus valebam,  
eram pronus proficisci,  
sed non pedes potuerunt,  
quod auditam aliunde  
rem recepi dulciorem,  
sicut citharam canoram  
locis tesquis tenebrosis.

Valles, vertices canebant:  
"Solis sidus, cur tam stulte  
dulcem deseris in terris  
plenam et venustam vitam  
ob laetitias inanes,  
propter vacuas res vanas!  
Almum annum commutabis,  
celerem, decoram horam,  
ut in sinu sempiterno,  
sedibus sis saeculorum!  
Scito, scito, stella stulta,  
friget sinus Rationis,  
latiusque friget latus  
Sapientiae silentis  
apud atria tam alta,  
domicilia divina!  
Caram Terram invocabis -  
mortua non auscultabit;  
flebis colles florulentos -  
qui non denuo florescent  
myriadibus annorum  
multis milibus delapsis."

Tellus, te tum recordabar,  
tuas palpebras et pectus:

ut procella properavi,  
ardens animo reverti.

Venti virgines ridebant:  
"Istene mos est herois?"

Voces numinum fremebant:  
"Tua vincula defringe!"

Summum caelum susurrabat:  
"Miser, corruere de cursu!"

Regnum lucis lamentatur:  
"Altus humilis est factus."

Stella saeva Borealis  
loquitur loquelis plenis:  
"Vae te virum infelicem,  
vim amoris violatam!  
Tua cara iam quievit  
iuxta Lunae divum numen,  
novus alius amavit  
Solis feminam sublimis,  
die sero delectavit,  
mane maxime dilexit  
osculatus ore dulci,  
collum eius complexatus  
postquam, miser, es profectus,  
ut caelestia curares!"

Firmamentum confirmavit:  
"Stella verum est locuta!"

Totum chaos contonabat:  
"Deus, illis miserere!"

In furore tum fremebam:  
"Hos scelestos concremabo!"

Diri daemones dixerunt:  
"Eos eneces ardore!"

Et ardorem afferebam  
in articulos amborum,  
et fervorem emittebam  
in incendium amorum,  
ignem vestrum incitavi  
in exitium amborum,  
vos dilectione duxi  
in perniciem, ruinam.

Fors et ipse sum crematus  
perdita vi potiore,  
satis mihi tamen mansit,

nimis calida scintilla.

Anni multi sunt transacti;  
circumagimur hic adhuc,  
tu misella mater Tellus,  
ego Solis fax infelix  
tertiumque Lunae numen,  
princeps morte iam defunctum.  
Tristis nobis comitatus,  
eo sumus tristiores,  
maestiores quam mors ipsa.

Cum recordeo res priores,  
te tum, Tellus, miseratus  
meo doleo dolore  
obscuratus nubis orâ;  
formam fervidam recordeo,  
tui corporis candorem,  
spiritus vim luminosam,  
flammas caeruleas colore;

seges ex eis sublimis,  
caules candidi sunt orti,  
filices excelsiores,  
arbores nobiliores,  
omnes ex oblectamento,  
tui pectoris tempore.

Anni multi sunt transacti:  
glacie nunc congelaris,  
tua sorte satiaris.  
Mortuum est Lunae numen,  
mox et ipsa morieris.  
Numquam postea resurges?

Spectas, spectas nec moveris.

Tellus, tibi male feci,  
male mihi tu fecisti.  
Numquam posthac lenieris?

Tua labia loquuntur:  
"Sol, nolito separari,  
ne discedas a me, Dies,  
Sol, quem solum adhuc amo  
aëris sub amplis aulis!  
Quamquam sumus seniores,  
uniter nos uniemus,  
quamquam sumus tristiores,  
gaudio nos coniungemus  
tempore iucundiore,  
aevo demum dulciore,  
cordis cura levioere,  
vita iam felicioere!"

Credidi tum tibi, Tellus,  
olim, sed nunc non plus credam,  
etsi simul iam exstinguar  
moriens te moriente.

Abeo non rediturus.

Carmen Eionis Leino, Finnico nomine "Auringon hyvästijättö", in Latinum vertit  
Thomas (Tuomo) PEKKANEN

# IN MEMORIAM Antonini Immé

Die XXV M. Augusti anni MCMLXXXVIII

Mortuus est

**Antoninus IMMÉ**

Multo Cum Dolore Nuntiavit  
Genovefa Uxor  
21. Boulevard Recteur J.-Sarrailh  
F - 64000 PAU

Exeunte mense Augusto nobis nuntiatum est Antoninum Immé vita functum esse. Qui optimus diligentissimusque fautor Latinitatis iam diu aegrotabat.

Antoninus Immé in viculo Melilli prope Syracusas natus est die 1° m. Ianuarii a° 1901°. Studia classica perfecit, primo Romae apud Salesianos, deinde in universitate Catinensi. Tunc temporis cum professoribus condiscipulisque Latine colloquebatur, unde Latinitatis vivae amorem concepit.

Studiis perfectis, Antoninus Immé litteras Latinas docuit in Syracusano gymnasio et postea Romae, semper modo vivo, Latine loquendo. Commentarios Latinos condidit, quibus nomen dedit "Aventinum" (ab a° 1971° ad a<sup>um</sup> 1976<sup>um</sup>). Inter lectores eius erat mulier quaedam, nomine Genovefa Metais, quae uxor eius futura erat. Nam illa a° 1975°, cum Romam veniret, Antoninum visitavit ad colloquia Latina habenda. Sed liceat Genovefae ipsi narrare: "Inter me (Italicum sermonem ignorantem) et eum (Francogallicum sermonem parum scientem) Latina lingua fuit simul et prima mutuae cognitionis et postea mutui amoris causa, et necessarius modus quo eum aperiremus. Propterea amor Latinitatis vivae non est mihi res solius mentis, sed res cordis, qua Antoninus et Latinitas mihi stricte consociati sunt." Hoc Latinum matrimonium a° 1978° celebratum est.

Romae Antoninus Immé invitatus erat ut circulo, c.n. "Fondazione Europea Dragan", adesset. Qua Fundatione rogante, scholas Latinitatis vivae instituit quae etiam nunc fiunt, Francisco Iohanne Barbalace docente.

Plurima scripta Latina divulgavit in Latinitate, Voce Latina, Vita Latina, Rumore Vario, Herma Americano, aliis. Multas etiam acroases Latinas habuit. Aliquando, cum Consilium Europaeum conventum Romae haberet, Leone Tindemans BELGA praeside, orationem Latinam coram legatis obstupefactis ex improvviso fecit.

Denique Pali in Francogallia, ubi uxor linguam Latinam docet, Antoninus et Genovefa commentarios scholasticos a° 1980° una condiderunt. In his foliis, "M.A.S." inscriptis, i.e. "Memento Audere Semper", discipuli ipsi Latine scribunt.

Antoninus Immé non solum fuit homo vere Latinus, sed etiam Latinitatis verus propugnator.  
Sit ei terra levis.

MODERATORES

# SVECIA LATINA

Dr Gaius Licoppe, quo neminem vidi neque Latiniorem neque magis impigrum, mense Iunio per Sveciam iter faciens a me quaesivit, cive Suecico eodemque professore linguae litterarumque Latinarum in universitate Lundensi, num et quomodo et quantum quis in terra mea Latine disceret. Cogitanti igitur mihi, quid lectoribus Melissa<sup>e</sup> hac de re potissimum scriberem, visum est aliqua de iis fatis praemittere, quae apud nos lingua Latina per mille fere annos est experta.

Incertum est, num ante saeculum nonum ea lingua apud Suecicos audita sit. Tum autem, vel postquam Ansgarius ille a<sup>o</sup> 829 cultum christianum agresti (ut cum Horatio loquar) intulit regno, satis constat cives, cum missae Latinae decantatae interessent, aures suas vocabulis novis inauditisque assuefacere esse coactos. Neque dubium est, quin religio christiana litteraeque Latinae id effecerint, ut Suecici magis magisque cum Europaeis coniungerentur eorumque cultu e humanitate quodammodo afficerentur. Inter scriptores medi aevi Suecicos duo praesertim sunt memorandi, magister Mathias Lincopensis, theologus sagacissimus eruditissimusque, Birgittaque Birgeri, cuius revelationes, quamquam sermone patrio eas ipsa aut scripserat aut dictaverat, in Latinum statim versae per totum fere orbem sunt divulgatae; ambo saeculo quarto decimo vixerunt.

De iis igitur temporibus loquor, cum legere idem erat atque Latine legere. Lingua a sacerdotibus virisque doctis adhibebatur; neque tamen indoctis displicuit. Constat enim cives paroeciae cuiusdam Suecicae curatum suum ira commotos paene interfecisse, cum is religione in Svecia reformata Lutherismoque illato missam Latinam, quasi papismum nimis redoleret, a<sup>o</sup> 1538<sup>o</sup> abolere auderet ritumque Suecicorum paroecianis invitis imponere. Maior honor, quod sciam, linguae Latinae numquam a populo Suecico neque ante neque post delatus est.


Ex iis, qui saeculis sequentibus in Svecia Latine scripserunt, dignissimi sunt quorum mentio fiat Georgius Stiernhielm (1598-1672), de quo ambigi potest, utrum poeta maior an philosophus fuerit, Emmanuel Swedenborg (1688-1772), philosophus, theologus, mysticus, Carolus Linnaeus (1707-1778), "Rex florum" non immerito appellatus.

Satis igitur apparet linguam litterasque Latinas in vita cultuque Suecico diu haud parum valuisse. Hodie autem ea ipsa lingua apud nos sicut et apud alios locum aliquanto modestiorem obtinet. Si quis quaerit, cur ita sit, rem consideret luce clariorem: fere omnia, quae quis aut discendi aut se ipsum delectandi causa legere velit, iam diu in libris inventiri posse, qui aliis linguis atque Latina imprimantur. "Quae cum ita sint, quid est, cur Latine discam?" quaeritur a pueris puellisue Suecicis, qui cum aliis colloquentes Suecica cum Suecicis, cum extraneis Anglica fere semper lingua utuntur. Equidem respondere soleo in unaquaque terra Europaea lot et tanta a maioribus esse sermone Latino sive ligato sive soluto scripta nobisque heredibus relicta et utique digna,

quae cognoscamus, si cultum civilem nostrum melius intellegere velimus, vel ut ita dicam, quo melius nos ipsi intellegamus. Alii aliter respondeant.

Neque vero studia Latina in terra mea omnino evanuerunt. Ante annum 1969<sup>um</sup> ii discipuli, qui in lyceo lineam Latinam, quae vocabatur, elegerant, aut quattuor aut tres annos docebantur. Eo autem anno novus ordo studiorum lyceis Suecicis impositus est, quo effectum est, ut ii, quibus studia Latina placerent, duos modo annos docerentur. Hodie tria fere milia alumnorum Suecicorum secundum hunc ordinem in studiis Latinis versantur. Neque tamen quisquam est, quin videat hoc curriculum Latinum, cum haud plus quam 500 horas in toto complectatur, brevius esse, quam quo discipuli Latine vere discant, praesertim cum non modo grammaticae sed etiam (et haud scio an plus) aliis rebus ad studia antiquitatis spectantibus studere cogantur, velut rebus antiquorum populorum gestis, mythologiae, monumentis. Parum igitur satis multi in lyceis nostris Latine discunt; sed aliquot eorum adeo litteris Latinis delectantur, ut postea, cum ad universitatem venerint, studia Latina aliis praeferant. In quattuor universitatibus Suecicis lingua Latina hodie docetur, Upsaliensi (ut vetustissimam earum primum nominem), Lundensi, Gothoburgensi, Stockholmiensi, et ii, qui ibi docentur, sunt, nisi fallor, 50 circiter numero. Studia sua Latina ad eum finem persequi expectantur, ut et textus Latinos omnium temporum satis bene intellegant et Latine recte ipsi scribant. Latinistae Suecici, qualitercumque scribimus, non est dubium, quin Latine melius scribamur quam loquamur.

Birgerus BERGH



De scholis Frisingensibus mense Iulio habitis referetur in proximo Melissa<sup>e</sup> numero.



# EX ORBE LATINO

## DE CIRCULO BELGICO : POST QUINQUE ANNOS, QUO PERVENERIT



A dextra ad sinistram: Iacina Verreet, Gaius Licoppe, Arnoldus Letzelter, Cantalia Midol, Alanus Van Dievoet, Inga Pessarra, Andreas Pierucci.

Mense Augusto anni MCMLXXXIII, Gaius Licoppe auctore, primum seminarium Latinum in Belgio a D<sup>r</sup>e P. Caeleste Eichenseer directum est. In regionibus extraneis, in primis in Germania, iam plures annos talia seminaria institui solebant, at Belgis res omnino insolita, inaudita, incredibilis erat.

Multi igitur Belgae, plerique magistri, nonnulli adulescentes, Flamici et Francophoni, linguae Latinae studiosi et curiositate moti undique convenerunt. Non paucis Germanis praesentibus, qui iam sermone Ciceronis uti solebant, omnes participes alacritate mirabunda ad Latinitatem Vivam gradatim accesserunt.

Seminario exeunte, omnibus placuit ad consuetudinem confirmandam atque augendam sessiones menstruas Saturni die, tempore postmeridiano, unoquoque particeps vicissim invitante, instituere. His sessionibus initio participes gaudii ipsius colloquendi causa conveniebant. Sed celerrime res bene ordinata visum est. *manda.*

Gaius Licoppe proposuit ut fundatio conderetur - unde nata est Fundatio Melissa - et nobis suavit ut res proprias et statutas tractarem. Nobis enim

necesse erat ut omnibus adspectibus sermonis assuefacti essemus, si expedite Latine loqui volebamus. Itaque pronuntiationem rectam, accentibus et quantitate syllabarum observandis, cognoscebamus et exercebamus, deinde vocabula cottidiana, structuras grammaticas usitatas et vocabula propria omnium disciplinarum, medicinae, politicae, oeconomicae...

Quidam tamen paulatim circulum deserere ~~in-~~ cep<sup>er</sup>unt, dolentes quod occupationibus propriis aut itinere longiore impediti essent, dolentes etiam quod opera quaedam ad sessiones praeparanda essent, aut quod propter voluntatem Gaii habendi sermonis Latini linguae Europaeae oblectamento solo per sessiones non fruerentur.

Alia difficultas nobis imperitis obstabat, soli inter nos, nullo extraneo praesente, nonnulli ante obstacula facere non poterant quin Francogallice loquerentur.

His omnibus rebus perspectis, cum Germanis plures conventus per annum instituimus, ut Latinitas Viva et Belgica et Europaea confirmaretur.

Hodie ei qui has omnes difficultates superare valuerunt, Latine sine ullo labore loquuntur. Sed circulus noster parvus est. Novi sodales igitur inquirendi sunt. Ut ad id propositum perveniremus, sessiones nationales minuere et internationales plures per biduum instituere, atque indicem rerum tractatarum participibus proponere statuimus, quas unusquisque moderator otiose confecerit.

Dolendum est tamen quod Belgae a Germanis mentibus differunt. Hi enim disciplinam suam non tantum curant, sed etiam aliis et diversis artibus student. Inter Germanos qui scholis Frisingensibus aut aliis conventibus adesse solent, et litterarii et scientifici sunt. Ex his non pauci professores universitatis sunt. Eis Latinitas Viva res neque stupida neque ridicula esse videtur. Ceterum in Germania eis qui studia in universitate aggrediuntur, facultas eligendi disciplinas diversas praebet. Non pauci sunt qui artem mathematicam et Latinam, aut biologicam et Latinam simul discunt.

② Ad hoc in conventibus Latinis nullum discrimen est inter illos doctos et alios, adulescentes aut imperitos. Quibus adspectibus illi conventus in Germania tantopere florent.

Quisnam in Belgio studia tam diversa conficere cupit? Quisnam in Belgio, inter philologos ipsos classicos, Latinitatem Vivam colere dignatur? In primis igitur cum mentibus angustis dimicandum est!



# DE SEXTO SEMINARIO LATINITATIS VIVAE VESTENDENSI

Qui per X annos iam Vocem Latinam subnotavi atque legi, saepe de seminariis Latinis cogitavi ac participare aliquando cupiebam, sed iterum iterumque aliquod obstaculum intererat, ne proficiscerer.

Hoc demum anno - postquam magister emeritus sum - contigit mihi, ut iter in Belgium facerem una cum filio, qui est discipulus in gymnasio Paderbornensi (Vestfaliae oppido Germano) atque ibi linguam Latinam discit.

Ergo die Veneris 12<sup>o</sup> m. Augusti bona spe in autoraeda nostra consedimus et optimo studio phonocasetam primam Vocis Latinae, quae continet pronuntiatum restitutum et alia, induximus, ut ipso iam in itinere mentem acueremus et memoriam firmaremus. Sed vae nos miseros! - nondum multa chiliometra vecti eramus, cum repente vox institutoris conticuit: taenia sic infeliciter implicata erat, ut eam nec extrahere nec revolvere nec reparare possemus. Ergo nobis eundem erat imparatis in illum conventum scientium peritorum sapientium Latinizantium!

Sed advenientes quid animadvertimus in illius deversorii vestibulo vel receptorio? Complures viri adulti sedentes in angulo ludere videbantur margaritis variorum colorum vel implere certo numero earum cucullos vel sacculos plasticos: num haec esset poena fortasse istorum, qui non bene vocabula et regulas grammaticales didicissent, nescivimus.

Postea demum comperimus isto in deversorio nullam cenam praeberi nisi singulis deditis margaritis! Et item comperimus in sessionibus seminarii neminem punitum iri, sed omnes humaniter hilariterque studia Latina agere, imprimis Patrem Caelestem, qui mirum in modum per totum diem Latine loquebatur ita ut omnes omnia intellegere possent, etiam nos tirones. Nam magister Germanus - ut ego fui - vix umquam occasionem ac facultatem Latine loquendi audiendique habet, tironem igitur eum appellare non est dedecus. Quod tamen valde dolendum puto; et exoptandum ut lingua Latina denuo fiat vere propria Europae lingua, cum Europa faciem propriam assequatur.

In hoc sexto seminario Latinitatis multum didicimus; non solum in sessionibus ante/postmeridianis voces novas, verba rerum hodiernae vitae intelleximus, regulas repetivimus institutrice Iacina Verreet peritissima, sed - quod insuper magni momenti est - novos amicos et sodales cognovimus.

Convenerant enim complures Belgae, Francogalli, Germani, etiam Americanus, Graecus, Italus, unus ex Hibernia et duo ex Hollandia aderant! Aderant adulescentes, iuvenes, viri, feminae! Et omnes inter se latinizantes laeti ac unanimi erant.

Duas quoque excursiones suscepimus: unam in urbem Brugas (Brugge) ubi mystagogus noster fuit Galus Licoppe Bruxellensis, alteram in oppidum Cortoriacum (Kortrijk) ubi nos duxit linguae Latinae etiam peritus Paulus Elsen. Utroque loco multa aedificia artificiaque admirari potuimus, e.g. Brugis forum, palatium, ecclesiam Sancti Sanguinis, curiam municipalem, Cortoriaci aulam Beginarum, ecclesiam Nostrae Dominae, et illam praeclaram Virginem

cum Christo mortuo a Michelangelo artifice elaboratam. Postremo visitavimus illud "Vlasmuseum", in quo demonstratur, quomodo et quibus laboribus homines rustici in saeculis praeteritis linum (hoc est: <sup>Hv</sup> Vlas) comparare solebant.

Sed cur cunctae inscriptiones declarationes explanationes semper et ubique lingua Anglica, Francogallica, Theodisca compositae erant non autem lingua Latina? Nonne praefectis sive directoribus museorum nemo adest, qui sciat talia in Latinam linguam vertere? Necessario igitur Societati Latinae aliquod grapheum interpretatorium instituendum est, ut illi adiuventur!

Ita fortasse etiam domini gastronomiae, caupones et alii adjuvandi sunt, ut tabellas cibarias vel indices ciborum et alias res lingua Latina annuntiare possint!

Nam - hoc est quod intelleximus in hac studiorum Latinorum septimana - ut fiat lingua propria Europae non Anglica, sed haec nostra "materna" Latina lingua, oportet in viis, foris, museis, cauponis, deversoriis Latine audias, legas, dicas, colloquaris. Iam ingressi sumus bonam viam ad hunc finem: circuli Latini, sessiones Latinae instituuntur in multis oppidis, ut augeatur numerus amicorum latinizantium!

Nos autem valediximus Vestendae die Veneris 19<sup>o</sup> m. Augusti et reliquimus hanc pulchram regionem Flandriae occidentalis.

Scriptis hanc relationem Rudolphus HUCKEMANN <sup>Ut</sup>  
Germanus collaborante filio suo <sup>17</sup> Volkero.  
Paderbornae, Kalendis Septembris MCMLXXXVII



N.B.: Fidelis amicus noster, Iohannes Albertus MORENO TORTUERO, hoc anno impeditus est ne seminarium participaret; sodales salutare voluit telegrammate quod infeliciter post seminarium finitum allatum est: "Domini dominaeque sodales, valde doleo quod hoc anno seminario Vestdendensi interesse non potui. Alia officia, sed semper Latina, hoc mihi vetant. Doleo quod amicos sodales revidere et alios novos cognoscere non potui. Maxime doleo quod Patris Caelestis institutionem, semper doctissimam et delectabilem, sequi non potui. (...) Curate ut optime valeatis."



# Scientia politica

Decem capita, lectores benevoli, vobis praebebuntur in decem quae sequuntur MELISSAE editionibus: quae omnia spectabunt ad quaestiones hodiernorum temporum politicas. Conabimur igitur explicationem ideologiarum quas vocant modernarum, et dividetur totum opus in decem partes quae sic inscribentur:

- 1) De liberalismo classico
- 2) De liberalismo moderno
- 3) De conservativismo
- 4) De partibus conservativistarum in Continente et in Britannia
- 5) De socialismo quem docuerat Carolus Marx
- 6) De communismis Orientis variis

- 7) De partibus communistarum Occidentis
  - 8) De partibus socialistarum Occidentis
  - 9) De fascistis Italiae
  - 10) De socialistis nationalibus annorum 1933-1945.
- Singuli tractatus tres vel quattuor machinae paginas superabunt. Sic lectores facile perlegent quae scripta sunt et si volent quaestiones ponant rogantur: respondebit auctor quaestionibus insequenti MELISSAE editione.

Auctor decem capitum "Guilelmus Monacensis" (Wilhelm Blum) nominatur qui in universitate Scientias profitetur Politicas.

## DE LIBERALISMO CLASSICO

Liberalismo nullam esse antiquiorem opinionem politicam confiteri cogimur, cum iam decimo septimo saeculo postulationes liberalistarum in publicum prolatae sint. Quae omnes contra regis vel monarchae absolutismum dirigebantur et singuli individui vel singulae personae iura spectabant.

Cogitanti mihi quid sit liberalismi vis atque natura in mentem venit haec definitio: liberalistae postulabant, ut suam quisque personam explicet vel augeat - quo fiet, ut suam quisque individualitatem coram omnibus confiteatur et perficiat. Cum enim verbo liberalistarum utimur, de libertate agimus: et haec libertas numquam ad rem publicam, sed ad individui naturam spectat. Agitur igitur de libertate uniuscuiusque hominis qui contra suppressionem rem publicae suum ipsius munus perficere cupit.

Tria sunt quae postulabant liberalistae:

- 1) libertas opinionis
- 2) imperium vel auctoritas legis
- 3) proprietates privatae.

1) Liberalistis classicis dubium non erat, quin ideae (ut Platonis verbo utar) opiniones sensus multo plus haberent potentiae quam res ut ita dicam reales. Quae cum ita essent, illis persuasum erat per ideas vinci posse omnia, vinci <sup>etiam</sup> ~~igitur~~ posse et imperium regis absolutum.

Cum de ideis loquimur, sciendum nobis est non agi de opinionibus privatis, sed de illis tantum opinionibus, quae ad res gerendas spectant. Quae quo modo tractentur rogantibus liberalistae respondebant per disceptationem esse discutiendas quae semper publice fiat. Si igitur de libertate opinionum agimus, solas illas spectamus opiniones, quibus quid sit in re publica agendum tractatur. Sic fit, ut et libertas actorum diurnorum a liberalistis postularetur - quae postulatio maxima illis temporibus esse videbatur.

2) Legi vel legibus subiciantur omnes cives optant liberalistae: quid hoc significat? Iuris consultus celeberrimus cui Ulplianus nomen haec conscripserat verba

(Digesta I 3,31): "Princeps legibus solutus est".

Princeps igitur legi vel generali vel speciali obtemperare non cogitur - id quod liberalistae dicunt taeterimum. Debent enim imperator vel monarcha vel rex vel comes vel ceterae potestates legi oboedire, quippe cui insit maiestas veri iuris. Lex igitur sit domina hominum et terrae, cui subdantur et cives et moderatores rerum publicarum: rex numquam sit absolutus, sed legis ut ita dicam servus.

Lex autem est, quam vel omnes cives vel multitudo civium posuerant: quae si meditaberis, lector, non ignorabis, quare de disceptatione publica supra egerimus...

3) Liberalistae semper semperque libertatem uniuscuiusque hominis postulabant. Quae libertas ut homini inesset, et proprietatem privatam postulabant dicentes sola illa proprietate privata posse hominem vere fieri hominem. Id est: sine proprietate privata homo numquam erit homo, sed velut bestia cui ab aliis quid agat imperatur.

Sic ut his solis utamur Anglorum verbis quae postulabant liberalistae erant haec: Life, Liberty, Property.

Liberalistae et unumquemque hominem liberum et rem publicam legibus vinctam postulabant: cupiebant enim homines singulos esse liberos, rem publicam ~~autem~~ totam subiicere legis praeceptis universis. Sic factum est, ut decimo octavo saeculo poscebatur res publica quae constitutione uteretur: nata est res publica constitutionalis. Prima omnium constitutionum est Rerum Publicarum Americae Unitarum, secunda autem est Galliae, quae anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo in publicum prodierat.

Qua via quae ratione quae methodo liberalistarum opiniones insequentibus saeculis propagarentur, videbimus in secunda harum compositionum parte. Vale, lector: et si vis pone quaestiones!

# DE SEPULCHRO PETRI BREUGELII IN URBE BRUXELLARUM

Inter eximios pictores certe Petrus Breugelius (1525-1569) haud obscurum locum tenet.

Qui vir non solum sua arte mira sed et sua eruditione praecelluit cuius in operibus multa depinguntur a Vergilio et Ovidio et Diogene Laertio descripta et narrata.

Magnam partem suae vitae usque ad obitum vixit Bruxellis in parochia Beatae Mariae Virginis de Capella qua in ecclesia conditus est in sepulchro in quo haec inscriptio inscribitur Latina:

PETRO BREUGELIO  
EXACTISSIMAE INDUSTRIAE  
ARTIS VENUSTISSIMAE  
PICTORI  
QUEM IPSA RERUM PARENS NATURA LAUDAT

PERITISSIMI ARTIFICES SUCIPIUNT  
AEMULI FRUSTRA IMITANTUR  
ITEMQUE MARIAE COUCKE EIUS CONJUGI  
IOANNES BREUGELIUS PARENTIBUS OPTIMIS  
PIO AFFECTU POSUIT  
OBIIT ILLE ANNO 1569, HAEC 1578  
D. TENIERS JUN. EX HAEREDIBUS  
RENOVAVIT A° 1676

Ex hoc testimonio allato appareat nobis denuo quantum sit universalis et communis omnibus Europaeis lingua Latina quae artissime cum cultu humano nostro coniungitur.

Alanus DIVUTIUS  
Bruxellensis.

## DE NOVIS LIBRIS

Sigrides ALBERT(A), Apologi Grimmiani, Saraviponti-Saarbrücken, Societas Latina, 1988, 129 p., 15 cm x 21, 12 DM.

D.rix Sigrides Albert(a), quae superiore anno librum optimum edidit c.t. "Cottidie Latine loquamur" (1), hunc novum librum nobis proponit legendum.

Nonnullos apologos Grimmianos, i.e. a fratribus Grimm scriptos, in Latinum vertere Sigridi operae pretium esse visum est quia, ut ipsa in prooemio scribit (2), "Fratribus autem Grimm viventibus apologorum editio maior septies, editio minor decies impressa est. Sed ex aetate Grimmiana apologi iterum iterumque imprimebantur, divulgabantur, narrabantur, legebantur, in pelliculis cinematographicis spectaculisque exhibebantur. Ergo eorum singularitas attractiva non minuebatur". Etsi apologi pueros incitant, quod insunt elementa phantastica, pro adultis tamen praesertim scripti sunt. Sigrides ipsa scribit (3) "apologi sunt pars quaedam cultus civilis, quae populis Europaeis est communis. Quamvis autem apologi ab fratribus Grimm collecti maxima ex parte sint originis Germanicae, tamen etiam aliarum gentium fabulae similes structuras, formas, argumenta habent. Ea de causa ubique intelleguntur." Aspectus etiam mirabiles et scitu dignos vitae cottidianae hominum huius aetatis evocant. Apologi etiam pertinent ad educationem liberorum, ad quales normas vitae pueri huius aetatis educati sint et hodie, ibi vel alibi, adhuc educantur. Narrant de natura hominum, de paupertate, de avaritia, de superbia, de scelere, de stultitia, ...

Ex ducentis apologis Grimmianis, 38 electi sunt inter eos qui minus noti erant (e.g. "De paupere famulo molinario atque de cattula", "De angue", "De vulpe et catto", etc...).

Sermo Latinus, quo D.rix Sigrides Albert(a) usa

est, hoc mirum habet quod simplicitatem cum elegantia coniungere optime scivit, imitando, ut ipsa asseverat, Grimmianum scribendi modum.

Apologi electi non sunt nimis longi (nonnulli sunt vere breves e.g. "De clave aurea") et multi sunt vere hilares.

Etiam insunt, ad unumquemque apologum illustrandum, pulchrae imagines a Lydia Albert(a) delineatae.

In libri fine, post apologos, invenire etiam possumus adnotationes quibus notiones vel vocabula minus nota explicantur.

Quo libro, mea opinione, delectabuntur non solum magistri et discipuli sed etiam Latinizantes quia ibi invenient multas locutiones ad vitam cottidianam pertinentes.

Diana LICOPPE

(1) Cottidie Latine loquamur, Saarbrücken, Societas Latina, 1987.

(2) p. 3

(3) p. 4



NOVUM MELISSAE

LEXICON MINUS  
LATINITATIS  
MODERNAE

Latino-Nederlandicum  
Nederlandico-Latinum

DOMUS EDITORIA "FUNDATIO MELISSA"  
1988